



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus V. De Professione Fratrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

17. A templo S. tuo quod est in Ierusalem. Dein. In Conceptione tua, &c.
Ora pro nobis B. Pater, &c.

O R E M U S.

Deus qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti :
da nobis in eodem spiritu recta sapere ; et de eius semper
consolatione gaudere. Deus qui per immaculatam Virginis
Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, qua-
sumus, ut qui ex morte eiusdem Filii sui prævisa eam ab omni
labe præservasti, nos quoque mundos eius intercessione ad te
pervenire concedas. Deus qui Ecclesiam tuam B. Francisci
meritis foetu nova prolis amplificas, tribue nobis ex eius imita-
tione terrena despiciere, et cælestium donorum semper partici-
patione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Resp.
Amen.

5. Tempore Communionis Novitius vel Novitij recenter induti
à P. Instructore ducuntur, ut primi post altaris Ministros communi-
cent, si sit dies Communionis, alias ipsi soli communicabunt, & ad
locum reducuntur.

TITULUS V.

De Professione Fratrum.

1. **I**N Professione ferè omnia eodem modo observantur quo in Vesti-
tione, excepto quod omittantur Benedictiones, & loco illius ;
abrenunciationem sæculi probare incipientem legatur, profiteri volentem.

2. Post Litanias & Collectas Prælati jubet Novitium venire ad se,
cumque is genuflectit in gradu altaris, complicatas manus ejus, Præ-
latus stola qua indutus est, circumligat, & jubet intelligibili voce cum
debita

debita intentione, emittere Professionem, ut sequitur.

Forma Professionis.

EGO F. N. voveo, et promitto Deo omnipotenti, et B. M. Virgini et Beato Patri Francisco, ac omnibus Sanctis, et tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Honorium Papam confirmatam: vivendo in Obedientia, sine proprio et in Castitate.

Superior qui Novitium ad Professionem recipit, dicat:

Et ego ex parte Dei, si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam, In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus sancti: Omnes Fratres respondent: Amen. Dein dat ei Osculum pacis, quo facto surgit, & super Professum ante se genuflectentem dicit Collectam.

O R E M U S.

DEus qui nos à seculi vanitate conversos ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam tuam quâ in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidii, quod te donante promisimus, impleamus, ut nostræ Professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es pertingamus. Per Dominum nostrum, etc. Resp. Amen.

3. Post Collectam solemniter intonant Hymnum *Veni Creator*, omnibus genuflectentibus, donec secundus versus intonatus fuerit, tunc enim Superiore surgente omnes surgunt, & Professus ducitur ad omnes Fratres pro osculo pacis, quo facto revertitur ad locum suum, finitoque Hymno canitur Versus.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℞. A templo sancto tuo quod est in Ierusalem.

Deinde alia ut præcedenti titulo.

TITU-